





**PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,  
IO. GOTHOFREDVS  
BERGERVS, D.**

Potentiss. Polon. Regis et Electoris  
Saxon. Archiater, Colleg. Medic.  
Prof. Publ. Primarius et  
Senior,

**CIVIBVS ACADEMICIS**  
S. P. D.



Uotiescunque mihi in mentem ve-  
nit Ambrosii, venit autem saepis-  
sime, toties recordari soleo HAN-  
NEKENII nostratis, qui propter me-  
rita, quae in rem sacram extant, cum Ambrosio  
adaequandus est, ad quem doctrinae ratione,  
et vitae instituto vix quisquam proprius acces-  
sit. Alter doctrina salutari erudit Insubriam,  
alter praeceptis coelestibus instituit Hessiam,  
et laudes ibi cumulatas, demum in Saxoniam in-  
tulit, ac plena omnium rerum maturitate felici-  
ter complevit. Alter cum arduas praefulsi par-  
tes susciperet, difficultatem muneris et magni-  
tudinem excusavit, qui aegre tandem adductus,  
voluntati obtestantium cessit. Alter magistri  
exemplum secutus, ita se comparavit, ut neque  
dignitates prensaret, et antistitis quoque provin-  
ciam deprecaretur, nisi aliter Dei voluntas, et  
moderatoris maximi imperium ferret. Vterque enim  
in studiis artium, atque in liberalibus disciplinis aeta-  
tem consumere maluit, quam attingere rem publicam,  
religione mysteriorum constitutam divinitus et con-  
secratam. Ab utroque tamen metus, qui in vitio po-  
nitur, et ignavos odio laboris deterret, longissime ab-  
fuit, praelertim cum admoniti, quanto esse usui pos-  
sent, non quid animo liberet, facerent, sed sponte  
Deo volenti ac iubenti obsequerentur. Ita evenit,  
ut in fide et officio erga Deum, constanter permane-  
rent, errores arguerent, et fraudes caverent, hostes-  
que veritatis quanta possent contentionе arcerent, et  
calamitates ac miserias omnes laeti libentesque per-  
ferrent. Singulare Antistitis Insubrici exemplum est,  
et dignum, quod posteritatis memoriae tradatur, quan-  
do is pro veritate sacrorum non dubitavit vitam offer-  
te in

re in discrimen, nec pertinuit Augusti Caefaris Valentianii iunioris offensam. Nunquam illi mansuetudo defuit, nunquam Caesarem Aug. contempsit, sed eum ita amavit, et coluit, ut nunquam a Dei obedientia receslerit, et contra Iustinae Aug. minas molitiones que animum divina ope firmaverit, coetumque plium e periculo salutis aeternae eruptum, ab impura, et latius serpente Ariani gregis contagione vindicari. In Theodosio praecepsitas ulciscendi rationes reprehendit, quod summa acerbitate in Cives Antiochenos animadvertisset. In quo nihil fecit praeter officium, et Christianae mansuetudinis commoruit Imperatorem. Idem HANNEKENIO ingenium contigit, mite quidem, et ad ignoscendum facile ac promptum adeo, ut inimicis reperderet pro iniuria beneficium, pro damno utilitatem. Poenas a spriores temperari cupiebat, et gravissima rerum capita acri diligentique cogitatione percurrebat: in iudicio cautus erat, et perpetuam animi aquitatem servabat. Sed in religionis argumento ne latum quidem unguem de recta revelatae veritatis via deslectebat, atque in hac re etiam ad Ambrosii imitationem se conferebat, ad eiusque in doctrina et vita exemplum fessingebat, neque auctoritate Principum, ut fecus ficeret, movebatur: errorum integrumenta, probitatis simulacia aperiebat, ac vitanda suadebat: tum addebat, latebras animorum Deo perspectas, qui simulatae virtutis vindex sit, neque humana calliditate unquam se deludi patiatur. Taurus, et tanto Antistiti exaequandus Vit A. c. 1510 C XXVII. Non. Iun. Marpurgi Hessorum editus in lucem est, patre quidem summe reverendo D. MENONE HANNEKENIO, Doctore Theologo et LL. Or. in celebri ad Lanum Academiâ Professore publico celebrissimo, ex Butiadia Oldenburgica Frisiae Or. finitima oriundo: Matre IUSTINA ELEONORA, castissimi sexus ornamen, et filia divi Balthasaris Menzeri senioris, de quo si digne velim, magnis voluminibus loqui necesse habeam, cuius sane laudes in ore omnium sunt, quotquot in rerum controversiarumque divinarum explanatione versantur. Maiores paterni maternique coeti sacro utiles extiterunt: ex illis Tilemannus auctipio Antonii Comitis Oldenb. primus instituit sacerdotium Varensense, quod non rumore, sed fide Hermanni Hamelmanni accepimus. De maternis nunquam Hessa continecer. Noster sermo de PHILIPPO LUDOVICO est, cuius nativitate Marpurgum gloriatur. Vbi puer ad octavum usque annum mansit, et cultus est: Postea cum patre, designato Lubecensium factorum auctistite, in vibem antiquam, et optimis legibus florentem venit Noster, et Latinis Graecisque literis expolitus, anno 1510 LVII, Gieslam accessit, celebritate loci, et fama studiorum insignem. Hic constituta studiorum ratione, vim ingenii ad rerum multo utilissimarum pervestigationem contulit, et pulchra doctrinae ornamenta ad reconditam sacrorum disciplinam adiunxit, maximeque usus est doctoribus optimis, Feurbornio, Haberkornio, et Mislero, quorum pietatem et doctrinam grata posteritas admiratur. Inde Lipsiam profectus, sub disciplina

plina Hulsemanni, perspicacissimae mentis Theologi profecit, simul et Kromayero, operam dedit, eiusque in docendo industriam et fidem merito collaudavit. Confecto hic ipatio, adiit Vitembergam, et duumviro Calovium ac Meisnerum studii sacri conseruidine sibi devinxit, atque hunc doctorem perinde ac hospitem observavit. Postremo Rostochii sedem studii delegit, et Quistorpium, multo labore, et longo usu ac translatione rerum divinarum apprime confirmatum audivit, neque ibi neglexit Vafnuthium, qui id temporis Rostochium ornabat. Hic et alibi solitus, et magna cum laude editis doctrinae speciminibus, anno 1510 et 1511 Gieslae in numerum Professorum relatus, ad docenda humanitatis studia se quam potuit diligentissime applicavit. Neque tamen animum, quem contemplationi mysteriorum addixerat penitus et dicaverat, a principe, quod ingressus fuerat, studio abduxit, et aliquot post annis summos in eo honores petuit rite ac impetravit, nec multo post extra ordinem Professor Theol. creatus, anno demum 1515 et 1516 LXX. Ordinarius Theologiae Professor, et senatus ecclesiastici Alesfor, more maiorum constitutus atque inauguratus, Misiero deinceps vivis exempto, primarii Prof. et antistititis sacrorum generalis titulo est cohonestatus. Iam triginta annos sui muneric expleverat in Hessia, quem potentissimus Saxo, divus Ioannes Georgius IV. eum Giesla accivit Vitembergam, quod anno 1510 et 1511 accidit: qua in statione ad extremum usque vitae spiritum, explicatis diligenter et vindicatis emendatae religionis capitibus, perseveravit. Hic Dei est in nos amor, haec in Civitatem benignitas, haec infinita erga nos misericordia, ut extremo mundi tempore tanta se in Academiam nostrarem largitate diffundar. Hoc maiorem familie amorem benevolentiamque debemus, quam summi nominis Vir apud nos reliquit. Nam ex nobilissima uxore, Margaretha Godelia Catharina Hoffmannia, quae praecipuas Hessiae superioris necessitudines complexa est, suscepit liberos stirpe sua dignissimos, V. Consultissimum GREGORIVM LVDOVICVM IC. Serenissimi Principis Servetta Anhaltrini Consiliarium in provinciali reddituum tribunal meritisimum, prudentia et rerum usu dexterimum nobilissimumque, CATHARINAM ELEONORAM, Excellentissimi IC. et sanctioris Consiliarii Holst. Eutinensis D. Gregorii Nitichii viduam, summa sextis elegantia, et virtute singulari matronam, BAL THASAREM MENONEM, artis medicae Doctorem Clarissimum, non ita pridem ex Batavia, et Britannia reversum, et denique IOANNEM LUDOVICVM, salutaris scientiae Candidatum, et suo fraternaeque laudis exemplo maximopere nobis commendatum. Tredecim nepotes neptesque vidit, stirpis indicia non exarefentis, qua foecunditate admodum laetus est, et incolumentem generi suo exoptavit. Sed voti fructum mors eripuit, et gaudium nullis definitum seculorum terminis Viro sanctimonia et meritis summo rependit. Corpus fractum morbis exhaustumque nulla Medicorum ope restituui potuit; anima Deo servata, et ab ecclesiis doctrinae praecone L. de VVedig expiata, cum sanctis coelitibus perpetua, et a calamitate vacuanam conseruidinem iuxxit. Vestra refert, Cives, ut summo Theologo supremum per solvatis officium, quem maxima in divinum Coetum merita immortalem praefant, et exequiarum solennia ab ordine vestro in primis requirunt. Hoc volumus, et maximopere Nobilissimae Familiae nomine per viatura THEOLOGI monumenta obsecramus. Funus hodie ex aedibus, quas vivus incoluit, ab H. I. in aedem Marianam, tumulumque proximum, concione publica honestandum inferetur. P. P. Dominica III post EPIPHANIA Anno MDCCVLX Kal. Febr.

Ung VI 3

10 18  
13 17



67

*B.I.G.*

**DIRECTOR  
E VITEMBERGENSIS,  
THOFREDVS  
GERVS, D.**

Ion. Regis et Electoris  
M. iater, Colleg. Medic.  
ubl. Primarius et  
Senior,

**S ACADEMICIS  
S. P. D.**